



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 107. Helvetiorum irruptio in Mendiolanensem Ducatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. piis resistendo impar, præcipiti consilio  
 A.C. 1510. obsidionem solveret, ac celeri fuga For-  
 rum Cornelii velut ad tutum asylum sese  
 reciperet.

## §. CVI.

*Ferrariæ Dux amissa recuperat.*

*Marian. lib.*  
 29. n. 98.

Nihilominus Ferrariæ Dux, quæ ami-  
 serat, paulo post recuperabat; cum  
 enim Urbinatis Dux sese recipiens secum  
 præsidiarios eduxisset, urbes horum me-  
 tu solutæ in pristini sui Principis fidem  
 redierunt; verum, cum Pontificis exer-  
 citus, Castellione ad sua redeunte, hosti-  
 li validior esset, eorum, quæ ceperat, par-  
 tem recuperavit, quin etiam Papiensis  
 Cardinalis quorundam civium opera,  
 quibuscum secreta fovebat consilia, Mu-  
 tinam Pontificis nomine subegit; Ran-  
 gonenses etiam ultro portas aperiebant  
 Pontificiis, ac ipse Ferrariæ Dux vix non  
 Regium amisisset, nisi opportuno suorum  
 præsidio, ac ducentis Lanceariis, quos ipsi  
 Calvimontius submiserat, illud firmasset.

## §. CVII.

*Helvetiorum irruptio in Mediolani  
 Ducatum.*

*Marian. l. 29*  
 n. 99.

Nec dubium, quin ipse Calvimontius  
 in Ferrariæ Ducis auxilium accur-  
 risset, nisi ejus curam occupasset irru-  
 ptio

ptio Helvetiorum, qui in Gallos concitati, quod neglectis eorum popularibus Grifones ac Germanos ad sua arma vocassent, ferme quadraginta armatorum millia in finibus Ducatus contraxerunt, vindictam suam in Mediolanenses exoneraturi; hos Papa æque ac Veneti propriis suis sumptibus alebant, solusque Pontifex octo Helvetiorum millibus stipendia numerabat; ambo enim spe freti erant, se hujus Nationis ope Gallos ex tota Longobardia, imo & ex omnibus Italiæ finibus propulsuros, ac Mediolani Ducatum Maximiliano Sfortiæ, quo exutus erat, denuo asserturos.

Sæcul. XVI.

A.C. 1510.

## §. CVIII.

*Helvetii re infecta reversi.*

Equidem Calvimontius Marefcallus Petr. de Antiquaria ep. 454 quantocius Eporediensem Comitatum copiis obsedit, Helvetiis aditum per *Augustæ Prætoricæ* vallem interclusurus; at hi, cum Bilitione sese congregassent, haud obscure monstrabant, quod Mediolanensem Ducatum invadere pararent. Eadem urbs subalpina, quam Ticius alluit, olim præfato Ducatui conjungebatur, nunc vero Uriensi, Suitiensi ac Sylvenienti Pagis subditur, Anno autem millesimo quingentesimo ad Helvetios transferebatur, cum Mediolanenses

K 2

alie-